



ILLVSTRISSIMO DOMINO,
 D. ALVARO
 DA COSTA,
 SACCELLANO
 MAXIMO REGIÆ
 Maiestatis in regnis Coronæ
 Portugalliæ,

Pater STEPHANVS FAGUNDEZ, è *Societate* IESV, S.

DETRVSVS in carcerem (ILLVSTRISSI-
 ME DOMINE) Sanctissimus Baptista,
 cum trucidandum sibi caput Diuini affla-
 tu Numinis suo in animo præfagiret, cha-
 ram Discipulorum manum, eos, quos in
 spiritu filios (vt ita loquar) paterno educa-
 uerat in amore, ad Christum Dominum
 ire iubens, totam suam in eos curam ad
 ipsius transtulit patrocinium: eum enim
 in ferenda sibi nece, mox parente orbandos, magistro destituendos
 videret, ne aliquo malorum turbine, derelicti afficerentur, sui ia-
 cturam, & defectum, totius orbis præceptore, ac gentis humanæ
 Genarcha suffecto satis voluit & supercompensare. Ioannis Ba-
 ptistæ facis lucidissimæ lumen, & lucem obseruare in præsens de-
 creui, ad extremamque deductus senectutem, cum multa ætas fa-
 tale instare malum, me iam propiùs admoneret, aliquem delega-
 re statui in patronum, qui librum istum, ingenij mei vltimum par-

132
tum, & fecuram, genuinum animi filium, sua auctoritate prote-
geret, suo praesidio, & ope ab incurfantium cauillatorum iaculis
defensaret. Hunc ut induxi animum, non diu haesitavi pendulus
quo spectarem. Vestra protinus Dominatio pectus impulit, men-
tem allexit, insedit voluntatem; cum enim Baptista amantissimo
alumnorum gregi nullum alium, quam Christum Optimum, & Ma-
ximam asciisset pro se pastorem: ego, ut illius insisterem exem-
plo, Antistitem huic meo libro, quem possem, cooptare debui; prae-
stantiorem vero, quam te, ILLUSTRISIME DOMINE, in toto Lusita-
niae regno inueni neminem: tua nimirum prima nobilitas à clarif-
simis deducta maioribus, tua excellens dignitas, tua singularis sa-
pientia, sic te reddunt illustrem, & conspicuum, ut nullus dignior
patronus, nullus mihi praestantior videatur: imò vero alios, quae in
te congesta reperiuntur, singula, & diuisa nobilitant satis, aut si in
aliquo sunt conflata, non ad tantam ascendunt, ut in te claritudi-
nem, & praestantiam, in quo ista suspicimus, fastigio tam edito col-
lata, ut mentis aciem penè effugiant, nec altius excolere posse vi-
deantur. Quae cum ita sint, illud est multo mirabilius, quod haec
tanta ornamenta, non te decorent, sed decorentur in te potius; te
non illustrent, sed in te potius illustrentur: illa quippe est tibi ani-
mi indoles, ut quae in aliis foenerant, in te accipiant, quae in caeteris
posita conferunt, in te collocata decus, & splendorem mutuentur.

Gratulor igitur, iterumque mihi gratulor, quod patroni delectum
habiturus, me totum ad vestram Illustrissimam Dominationem con-
uerterem, unde mihi maxima efflorescat gloria, scriptisque meis tuta-
men, & praesidium singulare. Si quis Aristarchus, inuidentiæ, & male-
uolentiæ filius, aduersus ea, quae in libro decreuerim, obiiciat obelū:
at illud saltem non diffitebitur, in eo me rectum habuisse consilium,
quod te mihi accerferim, tuumque nomen, vel inuitus in hac pri-
ma libri ianua stellula imposita approbabit: ex qua ideo fulgentio-
ribus conspicua radiis, quia tanto nomini propinquior, a quo tam-
quam sole maiorem hauriat splendorem, ad omnia, quae in hoc to-
mo continentur, lux & lumen deriuabitur, ita ut cuncta sydereae,
& illustrata stellulis tuo appareant beneficio: utinam cum scriben-
di initium facerem, menti succurreres, cui labores meos cum tan-
to foenore nuncuparem; concepta enim exinde voluptas totam
studij molestiam penitus absorberet, nec vigiliis, aut elucubrationi-
bus attererentur vires; verum tanti praemij spe arrepta excitaren-
tur: ideo tamen illud factum arbitror, quod me tunc temporis prae-
terires, ut laborum sensus, ac tolerantia tanquam merita forent,
quae tui me digniorem efficerent: sicut vulgo fit, illum, qui ad ma-
gna, & gloriosa aspirat, per difficultium rerum patientiam com-
parare.

Vt verò in mea me delectem felicitate, aliqua reducam in memoriam, quæ tui præstantiam commendent, planumque erit me non modicum esse præmium laboribus meis consequutum, si aliud deficiat, te patronum obtinuisse: licet verò longius excurrere videar, non ideo non consulam breuitati, in tuis enim rebus ipsa longitudo verborum est breuis. Prima tibi obtigit, DOMINE ILLUSTRIS- SIME, dignitas, Conimbricensis Academiae Rectoratus: ipsa nimirum sapientia studiorum præses, dum sui regimen tibi tradidit, non tam de te alumno se voluit iactare, quam tui se alumnam profiteri: nec ideo tamen illa obsequium tibi præstitit, quòd vocauit in illum honorem; imò à te suscepit quòd venires: si enim alij quòd pedetentim, & gradatim ad illum magistratus locum digni euehi extiterint, maximam ducunt felicitatem: at vestra Illustrissima Dominatio, quòd illum primò inuaserit, seque dignum fecerit, tota ipsius honoris est felicitas, quem occupando extulit & honorauit. Apud Athenienses præcipuos quondam scientiarum cultores similis quidem dignitas virum numeris omnibus absolutum commendabat, nec enim fas erat aliquem sede, & imperio inter Academicos viros eminere, quem omni perfectionum genere excultum non omnes planè faterentur. Exiguum est, ILLUSTRIS- SIME DOMINE, vt hoc de te affirmem, nec enim tui, tam ex muneris sublimitate con- iicio, quam illius dignitatem ex tui præstantia nunc intelligo, & cum maximæ dignitatis antea esset Conimbricensis Academiae Re- ctoratus, postquam tamen illum subiisti, sic à te sublatum esse au- tumo, vt nullus sit vel grauissimus, qui ipsum non sui dignum ar- bitretur: nec idcirco mirum est eximia voluptate perfusam esse Academiam, multòque in gaudio fuisse delibutam, cum illi de te Rectore nuntium delatum primò esset: haud erat ignara venturæ sibi tecum felicitatis, propterea exultauit gaudio, lætitia triumphauit: quòd verò tota vndequaque apparuit luminibus (vt accepi) noctu circumuestita, vel indicabat senectute ignibus consumpta, fore vt in nouam reuiresceret, te Rectore, iuuentutem, vel nocte in diem, tantarum facularum luce abeunte, nunquam amplius tenebras te ibi præsentem, tamquam Sole, affuturas; nec ipsam sua fefellit opinio: vt enim munus suscepisti, vix credi potest, nisi concepta de te apud omnes existimatio dubitandi tolleret rationem, quo tractasti regimine, qua prudentia gubernasti: iuuenes primo adole- scientiæ flore, ebulliente sanguine iuueniliter exultantes, admira- bili quadam grauitate composuisti, singulari maturitate sedasti, sic denique comitate, & integritate morum totam innouasti Acade- miam, & quasi alteram reddidisti, vt qui illam antea nouerat, ipsam in illa quæreret, nec inueniret. Cuius rei fama cum non solum Lu- sitaniæ regnum impleffet, verum etiam per totam Hispaniam per-

crebuisse, & ad Regis aures perueniret, ad se propius te accersire decreuit, non æquum ducens tantarum ab aula sua dotium ornamenta abesse, teque ad nobilissimam dignitatem sui maximi Saccellani in his Coronæ Portugalliæ regnis auocauit, quod quidem munus cum sit grauissimum, in eo tibi, vel maximè fuit gloriosum, quòd à maximis expetitur, & optatum infulis, tibi potius, non aliis cesserit: si enim alios suus honor externus dignos reddebat, qui non reiicerentur; at tua interna ingenitæque indoles animi, & insitæ dotes, sic te afficiebant, vt facerent digniorem qui potius admittereris.

Quæ dum animo reputo, sponte sua calamus ad tuam contemplandam nobilitatem, Illustrissimamque maiorum tuorum progeniem inuendam aduolauit; & si temerarius videatur, ne in præceps ruat, tua ipsius ope sustentabitur: vtinam verò ne dum tanti splendoris radios in lucem edere mihi est in animo, ingenij humilitate, verborumque inopia obumbrentur, & eclipsim patiantur. Ea tuorum maiorum est sanguinis claritudo, vt nemini inuidere possis, multi tibi concedere ingenuè fateantur. Omnes maiores tui ea fuerunt in rebus tractandis moderatione animi (quod veræ nobilitatis indicium est maximum) ea cura, ea integritate, & obsequio in Reges, vt singulare posteris imitandum reliquerint exemplum: vtque alios taceam, tangit me memoria Illustrissimi illius Domini D. Aluari da Costa, qui proauus tuus, & felicissimo Regi Emanueli acceptissimus extitit, primus in eius gratia, in fauoribus, in deliciis, cuius auspiciis non in aula solùm, verùm in toto regno omnia agebantur, imò & regij corporis Cubicularius sub id temporis maximus: qui cum ægrotanti Regi, in extremoque agone luctanti interesset, singulis regni Proceribus aliquid à Rege, vt vulgo fit, iam agente animam petentibus, solus ille tuus proauus Illustrissimus, tacita mœstitia, & dolore acerrimo perculsus, ad nihil aliud, quàm ad dolendum de sui Regis interitu, quem vberimis prosequeretur lacrymis, mentem conuertebat; quem cum fortè oculis Rex tenuisset, sic eum fertur alloquutus: Quid facis Aluare, inter tot omnium petitiones, ac supplicia, tu solus taces, nihil à me postulas? Pete, pete, Aluare, nosco enim de me te bene mereri, & dignum esse, qui accipias. Cui ille, Ego, inquit, Domine, nil peto, quia nil exopto, si vestra Altitudo mihi superest viuus, nihil restat amplius cupiendum; si vestra Altitudo decedit, & diem obit, nihil etiam mihi expetendum & postulandum superat, nisi, vt ad Altitudinis vestræ pedes mihi liceat pariter consepeliri, hoc mihi satis, si vestra Altitudo hoc concedat beneficium, nihil amplius oro, nihil amplius exopto. O dignas tanti viri voces! *nihil oro; nihil exopto.* O clarissimum exemplum iis, qui Regum animis sunt gratissi

gratissimi, imitandum, & præ oculis habendum. Tum Rex ad illum: Siquidem Aluare tu nihil à me petis, post obitum meum donum tibi erit, quo nihil maius aut ego impertiri, aut tu à me poteris expectare; crumenulam auro intertextam, in qua est inclusa ligni salutiferi particula, donum quidem ab Imperatrice Herena Regibus meis maioribus collatum, sub dextero meo brachio repertam accipies, quod mei in te amoris, & gratiæ pignus, monumentumque seruabis. Defuncto iam Rege, vir ille tam nominis sui, & existimationis, quàm integritatis animi, & parsimoniam studiosus, publico conscripto instrumento coram adstantibus Optimatibus regni, crumenulam aperuit, quid in illa contineretur ostendit palàm, ne fortè aliquis gemmam ingentis pretij ibi conditam, aut chirographum regia manu obsignatum existimaret.

Cùm verò tanta esset huius viri Illustrissimi in se parsimonia, in alios mira quadam pietate, & liberalitate sic erat affectus, ut nemo magis. Sibi parcissimus erat, aliis verò pietissimus: sit argumentum Domus illa Sancta Misericordia Vlisipponensis, cuius erector primus, ac inuentor extitit, eo pauperum emolumento, & Christianæ pietatis officio, ut mira vis pecuniarum in eius opera singulis annis expendatur: maritantur orphanæ, curantur infirmi; totius vrbis, imò orbis consulitur egestati: ille magnus Aluarus huius beneficentiæ Domus Prouisor primus fuit, ipsum excepere Reges, Duces, Marchiones, Proceres, & Comites totius regni. Nec solum pauperes ac miserissimi, verum Illustrissimi etiam viri huic proauo tuo, ILLUSTRISIME DOMINE, debere multum non diffitentur: testimonium suum offert Illustrissimus Comes Vidigueriæ, D. Franciscus da Gama, bis Indiæ Prorex, à quo acceptum multi regni Primates referebant honoris culmen, ad quem sua domus fuerat euecta, Regis quidem beneficio, at D. Aluari officio obtinuisse; nam cùm Vascus da Gama, illius inclytæ Domus author primus, India iam reperta, & aliqua ex parte subacta, gloriæ, & laudis plenus in Lusitaniam rediisset, Rêxque Emmanuel eius labores, & in se officia, ut remuneraret, illum creare Comitem destinaret, abnuentes regni Optimates Regis desideria restinxerunt. Aluarus tamen, ut erat Regi gratissimus, vnus illi persuadebat, ut mentem suam ad opus deduceret; cùmque ille hoc optare quidem diceret, sed à regni primoribus impediri, qui ne Vascus da Gama Comitum referretur numero, summa ope nitebantur: Aluarus inquit, quo isti Vasco cedunt meritis, eo sunt à ratione alieni: digni equidem forent, qui Comitum, Ducum, & Marchionum titulis cohonestarentur, si alium Indiæ statum regionibus distitum, affluentem diuitiis, imperiis vastum, tanta Lusitani nominis, & vestræ altitudinis gloria aperirent; si Gamæ inuidens honores, potiùs imitentur exempla, & ve-

stra Altitudo hanc illis responſionem præbens à ſuo propoſito mi-
nimè deſiſtat; ſic enim Gamæ laboribus, & meritis ſatiſfaciet, &
aliorum animos, vt illum ſequantur, excitabit.

Ex hac tam bona radice arbores pullularunt florentiſſimæ; nam
hic Alvarus veſtræ Dominationis proauus, filium ſuſcepit Do-
minum D. Iulianum da Coſta, tuum auum, qui vt parens ſuus Re-
gi Emanueli, ſic ille, quaſi gratia in Reges iure hæreditario ſibi
debita foret Catharinæ Caroli V. Imperatoris ſorori Luſitanæ
Reginæ, habitus in gratia fuit; cùmque illa pro ſuo nepote Seba-
ſtiano regni clauo aſſideret, gazæ regiæ Præfectus extitit Iulianus,
cui fortè ad Reginam ingrediētī fuit obuius nepos quidam Eduar-
di Paciēci illius inclyti Luſitani, quem cùm videret Iulianus lacera-
ſordidum veſte, ſumma cum admiratione ad Reginæ colloquium
admiſſus, ſic eam affatum eſſe memorant:

Habeo, Sereniſſima Regina, à tua regali magnificentia benefi-
cium enixè poſtulandum, quod ſi non neget, & quod æquum eſt
faciet, & quod eſt debitum perſoluet. Offendi modò ad palatii fo-
res nepotem Magni illius Eduardi Paciēci de hoc ſeptro tam be-
ne meriti, vt nemo magis. Hic apud Iudos Luſitanæ coronæ impe-
rium tantis victoriis de Mauris gloriſſimè reportatis propaga-
uit, & illuſtrauit gloriam, vt omnium antiquorum facta ad eius
memoriam obſcurentur; huius igitur progeniem miſera in pau-
pertate deliteſcere, fame, & rerum omnium inopia vrgeti veſtra
Altitudo patietur; hoc mihi potius impertiatur beneficium, vt
Commendam nepoti conferat tanto auo dignam, cùmque Regina
primam quæ vacaret donaturam fore polliceretur. Imò, inquit ille,
quia tanti viri egeſtas moram non ſuſtinet, veſtra Altitudo, quam
in meum auerſo congeſſit filium, ab eo transferat in Eduardi nepo-
tem. Admirata Regina; Habeat, inquit, & ſuam Commendam
tuus filius poſſideat; ego Eduardi nepotis conſulam egeſtati, cùm-
que locus cum donandi Commenda non eſt, tantis redditibus eum
ditabimus, vt poſſit viuere congruenter. O fortunata, & ſeli-
cia tempora, quibus Regum miniſtri eo erant animo ad remune-
randa clientum officia, vt eorum propriæ ſuorum anteferrent uti-
litatem.

Verùm enim verò, qui tamus ex aureo ceſpite erumpens meos
perſtringere videtur oculos, admirabilique ſplendore velut inter
ignes nitet Luna minores. Ille eſt, ille proſectò, ILLUSTRISſIME DO-
MINE, Illuſtriſſimus parens tuus D. Iulianus da Coſta, in quo eo ma-
ior elucet nitor, quo te propiùs ſanguinis communionē attingit;
hic ille eſt heros, verus patriæ amor, & amator, cui vna tantùm
fuit de communi vtilitate ſollicitudo, ob eamque proſectò ad ro-
tius vrbis huius regimen, cùm ſolus, tum admiſſo aliorum confor-
tio

tio, vocatus est eo temporis, quo tetra pestilentia lue laborabat ciuitas, nec alius in tanto malorum turbine quaesitus est ad regendam ciuitatem, nisi vir iste singulari prudentia, & sapientia insignitus. Hunc Septa, in Africa ciuitas, Praefectum suum gloriatur adhuc, quondam tenuisse eundem Senatus Camerae Vlisipponensis, & Senatibus Palatii Praesidem suum veneratus est, admissus denique ad Consilium status Regis Philippi III Hispaniarum, sic regni prospiciebat emolumento, ut planum sit, ad hoc tantum suam spectare sententiam, & quamuis fatorum inuidiam nobis sit ademptus, eius tamen memoria perpetuo in orbe perennabit.

Quae tamen infausta, & acerba meum perterritum animum recordatio: quis me rapit, ut iucundam maiorum tuorum felicitatem immaturo germani tui fratris obitu coactus sim commaculare? Parce ILLYSTRISSE DOMINE; quamuis enim affixus in animo dolor in lacrymas tantum, nec in verba nitatur erumpere; non possum tamen non acerrimam Roderici virtutem & singularem prudentiam, spes maximas iniquo interceptas fato, & recordari simul, & euulgare: erat ille profecto flos veterum virtusque virum, quem totum hoc regnum minimè capiens India Lusitanorum virtutis domicilium iam à primis expectabat incunabulis: quò profectus nullo relicto domus, & sanguinis haerede, cum ipse ageret primogenitum, & iam paternae fungeretur hereditatis, novos orbis quaesuit, noua regna, quae imperio adiungeret Lusitano; sed proh dolor! nimium vobis Lusitana propago visa potens superari: nam cumque ille egregiae virtutis aduersus Mauros, & Hollandos dimicans specimen praebuisset singulare, spemque faceret, vel superaturum, vel saltem clarissimos militiae Imperatores esse bellica virtute exaequaturum, fortè euenit, ut classis Aquilonaris Praefectus maximus apud Daumanum, cum perexiguo nauium numero iret obuiam maximae, omnibusque armamentis ritè instructae Hollandorum classi, quae illum ad portus fauces expectabat: iam propius accedens ferro, & igni minitans cladem, altera manu barbam, altera tenens gladium, horrendo bombardae ictu effudit animum; dignus profecto, cuius vita ad longiores annos perduceretur, & si viueret, instabiles, & vacuas Maurorum lunas, butyracea Hollandorum signa, suos ad pedes iacere iste Mauors despiceret Lusitanus; in cuius virtute sic haereo, ut non plus vltra progrediendum existimem, quamuis multa adhuc de hac tua Illustrissima à Costa familia supermemoranda. Hoc vnum non praetermittam, non minorem tuis litteris huic familiae vendicasse splendorem, quam alij suo robore, & praestantia militari: testor Conimbricensem Academiam, quae adhuc primum studiorum tuorum tempus recordatur, nec vnquam crediderim eius delendam fore memoriam. Ter in theatrum,

& in certamen descendisti semper victor, semper laurigeris trium-
phis condecoratus, quibus non palmam tantum, sed & certaminis
praemia competitoribus praeripuisti. Hoc in te sapientiae amor, &
studium, ad viros etiam extenditur sapientes, quos praecipue colis,
benevolentia prosequeris, beneficiis auges, & officiis honoras:
delicium tibi est vnum, de libris agere, eorum lectioni studere;
nec enim frustra ex omnibus orbis partibus, & expensis maximis
numerofam bibliothecam conquisisti, in qua nullus desideratur
liber sapientibus acceptus, nullus author commendatione dignus:
ad qualem hunc tibi offero, vt subiungas, si me authorem spectes
non despiciendum, si tuam authoritatem, cuius nititur patrocinio,
dignum equidem, qui inter meliores numeretur, & in publicum
exeat confidenter, non vt manus aspice tibi oblatum, sed tanquam
tibi debitum suscipe; cum enim de iustitia tractet, tibi viro iustissi-
mo consecrari, & nuncupari debuit: vnde si ad alium, non ad te
patronum me conferrem, iustitiae leges non seruarem, aliudque
verbis in hoc libro docerem, aliud exemplo admonerem. Vale,
**ILLVSTRIS SIMA DOMINE, & in augmentum omnium bono-
rum, & gratiarum viue. Vlisippone quarto Calendas Martias
M. D. C. XL.**

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is written in a cursive hand and is difficult to decipher.]

Simon